

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ**

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;  
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ  
propositiones, & alia

**Genet, François**

**Parisiis, 1703**

Q. 5. Quisnam est verus sensus verborum absolutionis?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40817**

12 T R A C T A T U S V I .

Quæst. 3. Quænam est materia remota Sa-  
cramenti Pœnitentiæ ?

Resp. Omnia peccatorum genera , sive mor-  
talium , sive venialium , quæ commisit homo  
post Baptismum , quamvis aliæ debitè con-  
fessus fuerit ; hoc tamen discrimine , quod sola  
peccata mortalia sunt materia necessaria hu-  
jus Sacramenti ; quia scilicet non possunt re-  
mitti , nisi per susceptionem hujus Sacramenti ,  
vel in re , vel saltem in yoto : at peccata ve-  
nialia , quæ non excludunt à gratia Dei , aut  
mortalia , quæ quis ritè confessus est , sunt  
materia sufficiens , hoc est , ut ait Concilium  
Tridentinum : Peccata venialia quibus à gra-  
tia Dei non excludimur , & in qua fréquen-  
tiùs labimur , quanquam rectè & utiliter ci-  
traque omnem præsumptionem in confessione  
dicantur , quod piorum hominum usus demons-  
trat : taceri tamen citra culpam , multisque  
aliis remedii expiari possunt.

Quæst. 4. Quænam sunt verba formæ Sa-  
cramenti Pœnitentiæ ?

Resp. Concilium Tridentinum post Decre-  
tum Eugenii Papæ IV. ait : hæc esse verba  
formæ : Ego te absolvo , &c. Quia exprimunt  
effectum quem hoc Sacramentum operatur ,  
qui est remissio peccatorum : Cæteræ preces ,  
quæ præmittuntur , aut subsequuntur , insti-  
tutæ sunt ab Ecclesia , & quamvis non sint de  
essentia hujus Sacramenti , omitti tamen de  
facili non debent.

Quæst. 5. Quisnam est verus sensus verbo-  
rum absolutionis ?

Resp. Sensus horum verborum non est ,  
quod absolutio sit simplex declaratio remis-  
sionis peccatorum ; sed quod ea effectivè re-  
mittat. Quod quidem probatur ex Concilio  
Tridentino his verbis : Si quis dixerit absolu-

Sess. 14. De

Pœnit. cap.

11

Sess. 14. Can.

29

**D e S a c r a m e n t o P ò e n i t . C a p . I I I . 1 3**

*tionem Sacramentalem Sacerdotis esse nudum  
Ministerium pronuntiandi & declarandi re-  
missa esse peccata confitenti , Anathema sit.*

Rationem affert Divus Thomas , dum ait:

*Sacramenta nova Legis non solum signifi- S. Tho. 3. p.  
cant : sed etiam faciunt quod significant : q. 84. art. 3.  
undè sicut Sacerdos baptizando aliquem , ad 5.  
ostendit hominem interius ablutum per verba  
& facta , & non solum significative , sed  
effectivè ; ita etiam cùm dicit : Ego te absol-  
vō , ostendit hominem absolutum , non solum  
significative , sed etiam effectivè .*

*Quæst. 6. Quomodo responderi potest his  
verbis quæ habentur Marci , cap. 2. v. 7.  
Quis potest dimittere peccata nisi solus Deus ?  
Ex quibus videtur , sensum verborum absolu-  
tionis non esse , quod Sacerdos effectivè pec-  
cata remittat ?*

*Resp. Respondeo ex Divo Thoma : Dicen- S. Tho. 3. p.  
dum quòd solus Deus per authoritatem , & à q. 84. art. 3.  
peccato absolvit , & peccatum remittit : Sa- ad 3.  
cerdotes tamen utrumque faciunt per Ministe-  
rium ; in quantum scilicet verba Sacerdotis  
in hoc Sacramento instrumentaliter operantur  
in virtute divina , sicut etiam in aliis Sacra-  
mentis .*

*Quod idem S. Doctor , fortius etiam ex-  
plicat Opusculo 22. cap. 1. ubi hæc habet :  
Dixit Dominus Petro , Matih. 16. Quodcum-  
que solveris super terram , erit solutum & in  
cœlis. Quod ad usum Clavium pertinere osten-  
ditur ; nam promiserat : Et tibi dabo Claves  
Regni Cœlorum. Et post quasi usum Clavium  
exponens dicit : Et quodcumque solveris. Pa-  
tet ergo ex dictis Salvatoris , quòd habens  
Claves absolvit. Præsumptuosum est ergo , ne  
dicam erroneum , ut Sacerdos dicere non pos-  
sit , ego te absolvō , quem Dominus absolves*

